



~~Hist. Circ. Sax. Super. 70~~
Hist. Pomer. 10.

PROGRAMMA,

Quo ad Solennem Introductionis Actum

VIRI,

*Generis Nobilitate, nec non singularis doctrinae**& experientiae fama Clarissimi,*

DN. D. D. DANIELIS

de SUPERVILLE,

S. R. Majest. Prusiae Consilarii Aulici & Archiatri
nec non Coloniae Gallicanae Medici Ordinarii,

Nunc etiam

Anatomiae & Chirurgiae Professoris in Regio atque
Illustri Gymnasio Carolino vocati,

Jussu atque Auctoritate

Illustrissimi Reginis Pomeranici
Generosissimorumq; DNN. Curatorum*D. 9. May A. R. S. MDCCXXVI. Hora IX. Antemerid.*

rite consummandum

Eique gratiam, decus & splendorem conciliandum

Omnes & singulos

Mæcenates ac Literarum Statores,

Inprimis autem Musarum nostrarum

Patronos, Protectores atque Promotores

Sive Sago sive Toga inclytos,

Nec non

Fautores, Amicos & quoscunque Gymnasio nostro bene cupientes

Ea, qua, decet, & cujusque dignitas capit

Demissione, observantia & humanitate

PUBLICO NOMINE rogat atque invitat,

CIVES VERO AC STUDIOSES

Regii hujus Athenæi

Et officii lege Actui huic interesse cupit

Michael Fridericus Quade,

SS. Theol. ac Philosoph. Doctor & Profesf. Publicus
nec non Gymnasii RECTOR.*Sedini, typis Johann. Frider. Spiegelii, Regii Reginis & Gymnasii Typographi.**H. Prof. Schoettger.*



Quotiescunque præsentem Reipublicæ literariæ
statum & orbis literati faciem tacitus mecum reputo,
ingentemque ac pene innumerabilem illorum nume-
rum perpendo, qui à literis nomen habere gestiunt,
seque eruditos salutari patiuntur, nescio & plane am-
biguus hæreo, utrum sæculi nostri felicitatem, ob tan-
tam eruditorum, vel saltem eruditionis titulo super-
bientium, copiam admirari & prædicare, an vero ca-

lamitosam ejus vicem dolere potius, acerbissimisque lacrymis deplorare de-
beam. In ea enim, proh dolor! incidimus tempora, quibus plurimi illorum,
qui se doctos profitentur, non solida, sed vix superficialia eruditione tinctos
esse, quotidiana eaque tristis docet experientia. Quod si in causas tam late
serpentis mali paulo penitius inquirimus, adeo multas esse deprehendimus,
ut iis vel enarrandis vix dies, tollendis vero & emendandis vix integrum
sufficiat sæculum, adeo altas inveteratum hoc malum egit radices! Ne tamen
querelam hanc justo dolore mihi expressam cum injuria sæculi nostri protu-
lisse videar, vel tribus, quod ajunt, verbis epidemici hujus & quotidie magis
magisque invalescentis morbi primam eamque fere præcipuam originem &
causam indigitasse sufficiat. Haud igitur à veritatis tramite aberravero, si
partim in eos, qui moderandæ juventuti studiosæ & ad eruditionis culmen
adspiranti in Scholis pariter & Gymnasiis atque Academiis sunt præfecti, par-
tim vero in ipsos Juvenes bonis literis ac ingenuis artibus addiscendis conse-
cratos, culpam rejiciam. Illi enim, trivialium inquam scholarum Magistri,
cum teneram suisque commodis consulere nesciam juventutem maxime ne-
cessariis lingvarum aliarumque, quarum ætas illa capax est, disciplinarum
adminiculis, utpote Grammatica, Rhetorica & Logica intrudere, neque fun-
damentis solide jactis ad Gymnasia sive Scholas, triviales inter & Academias,
velut intermedias, ablegare deberent, ut inibi reliquarum disciplinarum &
superiorum, quas vocant, Facultatum principia quantum satis est hauriant,
atque ita paulatim ad altiora in Academiis olim tractanda præparentur, ne
per saltum in illas ex Scholis translati, in alium quasi orbem se devenisse, non
sine insigni studiorum suorum remora & detrimento existiment: Hic ontra
ex præpostero æmulationis, & male sanæ ambitionis studio, sui vel muneris atq;
conditionis immemores, vel laborum atq; molestiarum, quæ in his studiis de-
vorandæ sunt, impatientes, vel denique tricarum, ceu stulte opinantur, inuti-
lium ac puerilium pertæsi, neglectis posthabitisque illis omnibus, invito
Apolline invitaque Minerva, cum discipulis suis mox ad altiora tendunt,
puerosque sub Prisciani ferula adhuc gementes, ad disciplinas captum illo-
rum longissime transcendentem, majori dicam imperitiâ, an imprudentia,
vocant, & ut ipsi nil nisi altum spirant, ita discipulos quoque suos pressioris
illius modestiæ legis oblivisci, animum contra magnorum atque sublimium
rerum cogitatione levare, verbo, nil nisi altum sapere adeoque cruda & im-
matura sua studia ad Academias propellere docent. Unde non potest non
fieri, ut implumes ejusmodi pulli, alarum suarum fiduciâ libero sese coelo
nondum committere audentes, à Dædaleis autem suis Magistris, Icarorum ad
instar ceratis imaginariæ sapientiæ pennis instructi audacter quidem altum pe-
tant; sed, solidæ eruditionis solem igneosque illius radios minime ferentes,
præcipiti gradu inum repetant, miserandoque casu ad suum ruant interitum.

Quod-

22. Theol. ac Philol. Doct. & Prof. P. Richter
Hec non Typographus & Typograph.

Typogr. Joh. Richter, Spitzg. Reg. Th. Richter & Gymn. Typogr.

Dr. J. Richter

Quod si vero contingit, ut infelices ejusmodi animæ vel parentum vel aliorum prudentum consilio, contra, quam hi corruptores juventutis mallent, aliquandiu Gymnasia frequentare studiisque operari cogantur; vitia tamen primæ concoctionis, ut cum Medicis loquar, raro in secunda aut tertia concoctione corriguntur, inprimis, si Gymnasia, ut quandoque fieri solet, ejusmodi instructa sunt Doctoribus & Professoribus, qui plus ornamenti & emolumentum à sparta sibi imposta expectant, quam ut doctrina & diligentia debita eandem ornare studeant. Quid ergo mirum, quod erronei illi nec in Gymnasiis diu subsistant, sed citato cursu ad Academias properent, ubi nullo examine prævio, aut requisito vitæ antea actæ studiorumque testimonio, digni pariter & indigni, imo dignissimi potius, qui ob crassam in literis ignorantiam ad ima Scholarum subsellia remittantur, civium tamen academicorum numero adscribuntur. Hic iterum uno alterove anno, non tam in literis aut bonarum artium studiis, quam potius in otio, popinis, commestrationibus, jurgiis, libidinibus aliisque flagitiorum generibus infeliciter exacto, nummisque paternis sive maternis ura cum pretiosissimo & irreparabili tempore turpiter decoctis, patrios lares repetunt atque Academicorum vel Candidatorum titulo inter eruditos tam diu versantur, donec spes aliqua promotionis, sive in ecclesiâ sive in Republ. affulgeat. Ast cum à nulla re minus, quam ab eruditione se instructos plerique sentiunt, aliam haud raro inire solent viam, ut aliquem inter eruditos obtineant locum: soluta nimirum certa pecuniæ summa Magistri seu Doctoris sibi emunt titulum, quo decorati dicam, an deformati, illic domum redeunt, seque vocari patiuntur *Clarissimos*, qui nullo unquam specimine eruditionis inclaruere, & vix intra urbis moenia cogniti sunt; *Amplissimos*, quibus tamen res angusta domi & curta eruditionis supellex est; *Consultissimos*, quibus parum aut nihil est consilii, quique vel suis rebus consulere nesciunt; *Experientissimos*, quos solida eruditionis expertes esse ipsa testatur experientia; *Excellentissimos* denique, quos vel tiro scientia antecelleret, o tempora! o mores! Unde fit ut Doctores multos, sed vere solideque doctos admodum paucos eruditus habeat orbis. Ab hoc autem contagio, cum nullus omnino eruditorum ordo sit immunis; (Etenim Theologi pariter & Icti, Medici æq; ac Philosophi nostros hic quisque patimur manes, dum Iliacos intra muros peccatur & extra) Attamen, si dicendum quod res est, Medicorum hodiè ordo reliquis hæc in parte facile dubiam reddit palmam, ex quo dignitates hæc cum in Gallia & Italia, tum in Belgio, & ex parte in ipsis quoque Germaniæ nostræ Academiis factæ sunt venales; ex quo cuilibet medicaastro, circumforaneo, unguentario, aromatario & carbonario, per auream vel argenteam portam, hanc adire licuit Corinthum. Absit tamen, ut promiscue omnes Medendi artem exercentes in eundem rejiciamus censum: Quemadmodum enim ipsa Medica Facultas aliquid habet divini, siquidem æmula divinitatis ægros servare mortales aut docet aut discit, ita & omni tempore viros dedit eandem professos, qui stupenda & incomparabili prorsus in quocunque scientiarum genere doctrinâ, non sua modo, quibus vivere, tempora illustrarunt, sed immortalem etiam nominum suorum famam & gloriam ad omnem, quæ futura est, posteritatem sine dubio transmittent. Horum igitur summorum virorum exemplo quoque incitatus *Vir Generosus, Amplissimus & Experientissimus, Dominus D. DANIEL DE SUPERVILLE*, neglectâ communi & à vulgo Medicorum tantum trita viâ, postquam humaniores non modo sed diviniore literas etiam penitus imbiberat, (his enim ex voto venerandi Dn, Patris & Patru sibi

cog-



cognominis, Theologi apud Roterodamenses celeberrimi, si per vires & latera
 licuisset, se totum consecraverat) tam felici successu animum ad studium
 Medicum & imprimis Anatomicum adjecit, ut valde adhuc Juvenis, duos quip-
 pe & viginti vitæ annos vix emensus, edito doctrinæ suæ haud proletariæ,
de Sanguine & sanguificatione, publico specimine, omnium consensu bar-
 batos inter Æsculapii & Hygiæ Sacerdotes Hermeticæque artis antisti-
 tes in Academiâ patria Ultrajectina meruerit locum. Quemque ita
 juvenem eximia ornavit scientia, eundem nec destituit experientia, quam
 alii Medicorum longo rerum multorumque annorum usu sibi comparare
 solent; siquidem ætas illius inter continua, experimenta est consumpta, amplissi-
 mumque præterea campum sese in dignoscendis tollendisque morbis exer-
 cendi patriæ Nosocomia aperuerunt: Qua de re *Serenissimus etiam Potentissi-
 musque Rex Prusie* FRIDERICUS WILHELMUS Patriæ nostræ Pater Augu-
 stissimus, eundem, ob singularem in arte servandorum hominum pe-
 ritiam, dignum judicavit, quem è Belgio in suas terras lauto stipen-
 dio evocaret, & missis per Coloniam compluribus ex Gente Gallorum
 familiis Sedinum, illius velut Medici Ordinarii operâ prospiceret. Ex
 quo tempore tantum abest, ut partæ in Belgio famæ gloriæque dimi-
 nutionem passus sit in Pomerania, ut potius novis subinde vel pericu-
 losissimos levandi morbos peritiæ editis documentis, eandem magis ma-
 gisque adauxerit, nihilque amplius ipsius votis deesse videbatur, nisi quod sa-
 lutaris illius artis, quam tanto successu quotidie exercet, docendæ adhuc desti-
 tueretur provincia: Sed hanc quoque facili impetravit negotio, postquam
 publica eaque accuratissima cadaverum aliquot sectione comprobavit, se
 etiam in studio Anatomico, seu secandi peritia, nemine sui ordinis esse inferio-
 rem: quo nomine Augustissimo Regi per *Proceres Provinciae* commendatus
 haud ita pridem *Anatomie & Chirurgiæ* in REGIO quod hic vocat Athenæo do-
 cendæ præfectus, ut reliquos inter Gymnasii Doctores in florentissimo hoc or-
 bis literarii theatro ingenii partæque suæ eruditionis thesauros in posterum ex-
 plicet, summaque diligentia minutissimas humani corporis partes humanaq;
 exta salubri haruspicina inspecta, ipsosque oculos fugientia fibrarum linea-
 menta curiosa felicitate deprehensa, studiosæ juventutis aspectui subiciat, atque
 deinceps continua cadaverum sectione ac inspectione vivorum saluti consulat
 ipse, & consulere alios doceat. Huic ergo muneri novus DN. Professor, Su-
 periorum auctoritate præficiendus, die 9. Mensis Maji, Oratione inaugu-
 rali, qua *Anatomie Historiam delineabit*, felix dabit auspiciam. Cui Solen-
 nitati, ut omnes Omnium Ordinum ac Dignitatum Viri, Mæcenates imprimis
 ac bonarum artium Promotores, Fautores item atque Amici & quicumq; de-
 mum Musis nostris bene cupiunt, gratiosam atq; perhonorificam suam præ-
 sentiam commodare, eandemque illustriorem ac splendidiorem reddere,
 haud dedignentur, publica voce eaque qua decet ac fieri potest modestia con-
 tendo: Cives vero & Studiosos nostros, ut officii sui memores debita
 frequentia Actui huic adsint, serio hortor ac pera-
 manter invito.

P. P.

Dominic. Miser. Domin.

A. R. S. MDCCXXVI.



12 April 1978

~~Hist. Pom. 7~~

Hist. Pom. 7

